dissert. de Fabricanda Fortuna §. 39. habita sub moderamine Maxime Reverendi Domini Præsidis nostri. Scilicet si α) non tantam, ac crediderint adversarii, fortunam esse divulgemus, β) si blanda spe participandæ fortunæ eos sustineamus, γ) si felicitatem nostram prudenter dissimulemus. Quibus vero addendum, 1) si dexteritatem nostram data occasione manifestemus, ut videant homines, tanto honore aut fortuna nos non esse indignos; 2) si aliis persvadeamus talem fortunam nunquam nos adfectasse, sed ultro nobis esse oblatam nec ex ambitione, sed spe patriæ inserviendi à nobis esse receptam, ceterum vero modeste eâ utamur. Invidia enim vitatur moderato sobrioque rerum secundarum usu. 3) Si ad alios quoque fortunæ nostræ usum derivemus, & illam cum eis quasi dividamus. 4) si molestias exin provenientes, labores ac difficultates extollamus, ut videant homines, nobis tantum honorem non constare gratis; videatur *Bessel. l. c. §. 55.* 3) *Sedulo cavendo, ne ad nimiam æquales adspirent potentiam*, unde supprimere nos & variis divexare calamitatibus possent. Quod ipsum Veteres probe observabant, summa cum cura prospicientes, ne quis civium privati hominis fastigium excederet. Suspecta enim semper eis erat excellens aliqua vel virtus vel fortuna, ne majora, quam ipsorum sorti congruebat, mente conciperent. Originem hinc traxit Ostracismus, non tam pœna quam mitigatio saltim ac temperamentum nimiæ felicitatis, quo ex urbe excedere jubebantur, qui aliorum fortunam superabant, cujus rei exempla in Græcarum rerum Scriptoribus undique sunt obvia. Romani, florente adhuc libertate, ademtis magistratibus civium suspectorum vires circumcidebant ad privatum statum ipsos redigentes. Imo hodieque eadem, si credimus *Jovio lib. I. Histor.* Venetorum lex est: *Neminem temere*, inquit, *ex optimatibus, qui vel insigni virtute vel spiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus crescere, vel collecta gratia potentem aut clarum fieri patiuntur.* Quid quod non tantum cives inter se hoc tenacissime observant, sed & universæ civitates, & Respubl. eo annituntur, ne altera alteri viribus aut potentia antecellat, ideoque vel manifeste vel occulte eam infringere & ad æqualitatem sui reducere sedulo allaborant. Quod si vero publice Pares nocere nobis cupiant, ipsis resistamus 4) *vim vi licite repellendo.* Cedendo enim plane atq; supplicando humiliter plerumque fiunt ferociores,